



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

108. Cum, sicut &c. Exemptio alumnorum, & Ministrorum Sacræ  
Congregationis de Propaganda Fide in ejus Collegio, & Palatio  
commorantium à quibuscumque Juribus Parochialibus Ecclesiæ S. Andreæ  
de ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



ANNO.  
1708.

ANNO  
1708.

Derogatio-  
nes.

litteras per subreptionem obtentas cenferi, & propterea viribus carere, neque Congregationem prædictam, illiusque Ministros ad verificandum præmissa compelli, & teneri, neque ob id nullas, & irritas, ac nullius momenti esse, & fore cenferi, sique per quoscumque Judices &c. etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales &c. sublata &c. judicari debere &c. irritumque &c. attentari &c. non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii concessionibus perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri prohibentis, ac prædicti Urbani Prædecessoris, nec non recolendæ memoriæ Symmachi, Pauli Secundi, Pauli Quarti, & aliorum Romanorum Prædecessorum Nostrorum de Rebus Ecclesiæ non alienandis, ac Pii Quarti de gratis Camera Apostolicæ interesse quomodolibet concernen. in dicta Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis; ita ut præsentés in ea præsentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, ac Beati Pii Quinti, felicisque recordationis Sixti Quinti, & dicti Urbani Octavi, nec non Clementis Decimi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum super solutione Annatarum, & quinquenniorum quomodolibet editis; nec non aliis quibuscumque Apostolicis etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Monasterii, & Ordinis prædicti, etiam Juramento &c. roboratis statutis, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Monasterio prædicto, illiusque Abbati, & Monachis, seu Canonicis Regularibus, eidemque Congregationi, ac primodictio Collegio, seu præfato Seminario, illius Superioribus, & Personis, & aliis quibuscumque in genere, vel in specie, aut alias in contrarium, sub quibuscumque tenoribus, & formis quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & etiam Nos etiam motu proprio &c. concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus &c. etiam si de illis &c. eorum tenores &c. illis aliis &c. manserint ad præmissorum validissimum effectum motu, & scientia paribus specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis. *Fiat motu proprio I. F.* Et cum absolute à censuris ad effectum &c. & quod dictæ Congregationi, seu primodicti Collegii, vel Seminarii alia concessionibus, applicationibus & gratiæ ei, illiusque Alumnis quomodolibet concessa habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis, & de Vineæ prædictæ concessionem Congregationi hujusmodi, seu primodictio Collegio, vel Seminario prædicto; nec non de assignatione, & donatione quatuor mille scutorum monete hujusmodi, ad effectum reinvestiendi, ut supra, sub lege tamen, & conditione fructus ex investimento hujusmodi proventuros integraliter erogandi ut supra; nec non de perpetua reservatione Juris nominandi, & eligendi Alumnum ex Provincia Epiri modo, & forma superius expressis, cum Decreto, Derogationibus, aliisque præmissis, ut supra, in literis latissime extendendis, & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam denominatorum, qualitercumque nuncupatorum situatio, aliorumque necessariorum major, & verior, specificatio, & expressio fieri possit in literis in forma gratiosa, & cum clausula perpetua, & ad perpetuam rei memoriam, etiam per viam de Curia, ut vocant, seu per viam Secretam absque alio signo, vel contrafigno, si videbitur, expediendis, seu si etiam videbitur, Volumus, quod sola præsentis

Nostri Motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra, Regula quacumque contraria non obstante quodque præsentium transumptis, etiam impressis, & manu Datarii, seu Prodatarii pro tempore existentis subscriptis, eadem profus fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ: *Fiat I. F.* Darum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem undecimo Kalendas Julii Anno Octavo cum decreto solius Signaturæ, seu etiam expeditionis literarum per viam secretam, aut de Curia, & quod transumptis manu Datarii, seu Prodatarii subscriptis fides habeatur. A. *Subdatarius.* Registrat. lib. xv. Secretorum fol. 216. A. de Laurentiis. P. Antonettus 25. Junii Piazzinus. Boncompagnus gratis.

Die 27. Junii 1708. Eminentiss., & Reverendiss. Cardinalis Orthonobus S. R. E. Vice Cancellarius novum præstitit consensum ad formam dicti Motus proprii, ac omnia, & singula in eo contenta ratificavit, & approbavit, ut latius ex Instrumento stipulato per acta D. Petrucci Camera Apostolicæ Secretarii.

Ex scutis quatuor mille per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem XI. Pro fundatione Alumnatus Albanensis elargitis fuerunt empta loca 34. Montium nempe 30. ex Monte Sancti Petri v. Erct. ut ex literis patentibus expeditis die 21. Julii, & loca quatuor Montis Restaurati Primæ, & Secundæ Erektionum ex aliis literis expeditis die 16. ejusdem mensis Julii MDCCVIII.

EXEMPTIO

Alumnorum, & Ministrorum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in ejus Collegio, & Palatio commorantium à quibuscumque Juribus Parochialibus Ecclesiæ S. Andreae de Fractis, ejusque pro tempore Rectoris, seu Curati, excepta tantum administratione sacramenti Matrimonii.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, licet fel. recor. Urbanus PP. VIII. Prædecessor Noster per quædam suas super Erektione Collegii, seu Seminarii Apostolici de Propaganda Fide Urbani nuncupati de Urbe Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXVII. Kal. Augusti Pontificatus sui Anno quarto Literas, inter alia dictum Collegium, seu Seminarium, illiusque Oeconomus, Rectorem, Ministros, Præceptores, & Alumnos pro tempore existentes, illorumque Domesticos, Officiales, & Ministros ab omni jurisdictione tunc, & pro tempore etiam existentis sui, & Romanorum Pontificum Successorum suorum in dicta Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis autoritate Apostolica, exemerit, ipsique Collegio, seu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magistris, Oeconomis, Officialibus, Ministris, & Personis à quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis, & indultis, quibus alia Germanicæ, Anglicæ, & Græcæ Nationum Collegia in Urbe prædicta instituta, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magistri, Oeconomi, Officiales, Ministri, & Personæ quovis modo utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant, & possent quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar sed æquè principaliter, & pariformiter

Fides transumptorum.

CVIII.

Exordium à dispositione Urb. VIII. ad favorem Collegii de Propaganda Fide, ejusque Alumnorum, & Ministrorum.



Parochus S. Andreae de Fractis controvexit exemptionem Ministrorum d. Collegii à Juribus Parochialibus. & litem instruit in Tribunali Vicarii Urbis

Pontifex ejusmodi litem ad se advocat, suppressit, ac extinguit.

Declarat Collegium ejusque Alumnos, & Ministros intra illius septa degentes exemptos à d. Parochia.

in omnibus, & per omnia uti, & gaudere vellent, dicta auctoritate indulserit, adeoque eidem Collegio vigore Indulti hujusmodi, ac insuper nonnullorum Decretorum die 29. Aprilis, ac die 12. Augusti MDCXLVII. à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita editorum, & à rec. mem. Innocentio Papa X. Praedecessore pariter Nostro approbatorum, exemptionem à Parocho, ac Jus Sepulturae pro Alumnis, & Ministris ipsius Collegii intra illius septa degentibus, ac administrandi illis Sanctissimae Eucharistiae etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis Sacramenta, juxta aliorum Collegiorum praedictorum pacifica possessione exemptionis, & Juris hujusmodi gaudentium, consuetudinem, competere dignoscatur; Nihilominus modernus Parochus, seu Rector Parochialis Ecclesiae Sancti Andreae de Fractis nuncupatae de eadem Urbe Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minorum etiam nuncupatorum, nuper sequuto obitu quondam Joannis Pastrinii praefatae Congregationis Cardinalium Ministri, litem dicto Collegio coram dilecto Filio nostro in Urbe praedicta Vicario in spiritualibus Generali super consignatione cadaveris dicti Joannis, & emolumentorum Parochialium, moverit, emanato desuper quodam Decreto provisionali, ac sequuto Pariter quondam Josephi Zambecchini alterius ejusdem Congregationis Ministri, qui in saeculari, & Collegiata Ecclesia Sancti Eustachii de dicta Urbe, in qua Canonicatum, & praebendam, dum viveret, obtinebat, sepulturam sibi elegerat, obitu, quartam Funeralium, & alia Jura Parochialia praetenderit, ipsos Joannem, & Josephum, licet uti Ministri hujusmodi, ac intra Collegii praedicti septa defuncti nullatenus ei subessent, inter ceteros Parochianos suos absque ulla distinctione recensendo.

§. 1. Hinc est, quod Nos litem, & causam hujusmodi dirimere, ac ne ullae aliae similes controversiae dicto Collegio in posterum inferantur, providere, eidemque Collegio specialem gratiam facere volentes, nec non litem, & causam eorumdem statum, & merita, ad dictum Decretum provisionale, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & colligantium, & alia quaecumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirementia praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, de Congregationis nonnullorum ex dilectis Filiis Romanae Curiae Praelatis super hoc negotio specialiter deputatae consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicae Potestatis plenitudine litem, & causam hujusmodi in statu, & terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, à praedicto Vicario Nostro, aliisque Judicibus quibuscumque ad Nos harum serie advocamus, illasque perpetuò suppressimus, & extinguimus, ac perpetuum desuper tam moderno, quam pro tempore futuris dictae Parochialis Ecclesiae Rectoribus, seu Parochis, aliisque quibuscumque silentium imponimus, osque occludimus.

§. 2. Praeterea Collegium seu Seminarium praedictum, ejusque Ministros intra illius septa degentes, à quibusvis Juribus Parochialibus exemptos esse tenore praesentium decernimus, & declaramus, & nihilominus ad majorem cautelam idem Collegium seu Seminarium, ac omnes, & quoscumque illius Ministros, & Officiales, Rectorem, Magistros, seu Lectores, Alumnos, & Convictores, nec non Famulos, & alios praefatae Cardinalium Congregationi ac ipsi Collegio quomodolibet inservientes, intra tamen ejusdem Collegii, ac illius Palatii septa degentes, à Parochia, seu Parochiali Ecclesia praedicta dictoque moder-

no, ac pro tempore existente illius Rectore, seu Parocho, vel Vicario Curato, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus eorumdem tenore praesentium perpetuò eximimus, & plenarie liberamus, eoque sic exemptos, & liberatos moderno pariter, & pro tempore existenti dicti Collegii Rectori, alteri ab eo, vel à dicta Congregatione Cardinalium deputando, in iis, quae ad administrationem Sanctissimae Eucharistiae, etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis Sacramentorum praedictorum, aliisque omnibus, quae ad Animarum curam spectant, penitus, & omnino subijcimus, itaut cura Personarum sic exemptarum ad Rectorem Collegii, seu deputandum hujusmodi privativè quoad praedictum Parochum excepta dumtaxat administratione Sacramenti Matrimonii quoad Officiales, & alios inservientes, qui hac tantum ratione Parocho, & Parochiae praedictis subint) tam super administratione omnium aliorum Sacramentorum, quam Jure sepeliendi in Ecclesia dictae Congregationis Cardinalium, absque ulla quarta, vel aliorum Jurium Parochialium, etiam si in alia Ecclesia Sepultura electa fuerit, solutione, spectet, & pertineat, ac spectare, & pertinere debeant, non secus ac si Palatium, & Collegium praedicta extra limites dictae Parochiae sita, & ab ea prorsus dismembrata essent, ipseque Collegii Rector unicuique, ac verus & proprius eorumdem Personarum intra ambitum Palatii, & septa Collegii commorantium, & ut praesertur, inservientium Parochus existeret. Quapropter dicto moderno, & pro tempore existenti Parocho districtus inhibemus, ne in posterum se in praemissis ingerere, ac desuper Collegium, seu Seminarium, ac Personas, & Rectorem praedictos, seu eorum aliquem molestare audeat, quovis modo, seu praesumat.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod dictus Parochus, seu alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeminentiae, & dignitatis, seu alia speciali, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causae, propter quas eadem praesentes literae emanarint, adductae, specificatae, & justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostri, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos Juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas apercitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti posse, sed ipsas praesentes literas, & in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respectivè, inviolabiliter, & inconcussè observari, sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae Cardinales, & alios quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros,

Et ad cautelam eos omnes à d. Parochiali Ecclesia, ejusque Rectore perpetuò eximit ac subijcit Rectori Collegii, seu alteri à Sac. Congreg. deputando in iis omnibus quae ad Sacramentorum administrationem, & animarum curam pertinent, excepta tantum administratione Sacramenti Matrimonii quoad d. Curato S. Andreae reservatur.

Decreta roborantia, & salutaria.



ANNO. 1708.

fablata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Amplissima derogatio quibuscumque contrariis

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, & in Conciliis etiam universalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non Parochialis Ecclesiæ prædictæ, aliisque quibusvis sub quibuscumque etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Parochiali Ecclesiæ, dictoque illius Rectori, seu Parocho, aliisque quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudinæ paribus, seu aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis ac plurius innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio; seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Picatoris die xviii. Augusti MDCCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

F. Oliverius.

CIX.

APPROBATIO

Et Confirmatio Regularum Collegii, seu Seminarii Missionariorum in Conventu Assisien. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, donec aliter provideatur, destinati.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Crediti Nobis cælestis Sacrosancti Apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quæ pro Collegio, seu Seminario Christianæ Religionis propagandæ, Catholicæque Fidei tuendæ consilio sapienter institutorum directione, felicique progressu, providè constituta esse noscuntur quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolici muniminis adjungamus firmitatem.

§. 1. Expoferunt siquidem Nobis nuper Venerabiles Fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, negotiis Propagandæ Fidei præpositi, quod cum Nos aliàs juxta Decretum, quod prius, nempe in Congregatione eorumdem Cardinalium die 3. Octobris 1707. coram Nobis habita edideramus, Dilectis Filiis quorundam Religiosorum Ordinum Superioribus præcepissemus, ut omninò, & quamprimum suo quique in Ordine

Conventum aliquem, veluti pro Seminario Missionariorum ad instar Seminariorum, seu Collegiorum in Sancti Pancratii propè, & extra muros Urbis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, & Sancti Petri in Monte Aureo de eadem Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum etiam nuncupatorum Conventibus respectivè institutorum deputarent, in quo diù, ac diligenter vocatio, & spiritus eorum, qui Missionibus destinarentur, probaretur, illique etiam ibidem de omnibus, quæ ad hoc Apostolicum ministerium cum laude, & fructu exercendum utilia, & necessaria forent, plenè instruerentur; quatenus verò in aliquo ordine Conventus hujusmodi destinatio ad hunc effectum tantùm, non tam citò fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo Conventu, vel domo ejusdem Ordinis, ubi Regularis observantia magis vigeret, executioni mandarentur; novissimè, nempe die 23. Septembris 1709. memorati Cardinales Collegium, seu Seminarium hujusmodi pro Missionariis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, rematurè discussà, in Conventu Assisien. ejusdem Ordinis juxta oblationem dilecti Filii moderni Ministri Generalis ipsius Ordinis, donec aliter provideatur, destinandum esse decreverunt, ac proinde Dilecto Filio Nostro Josepho ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Vallemano nuncupato, Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, nec non Dilecto Filio Magistro Sylvio de Cavalieris in utraque Signatura Nostra Referendario, dictæ Congregationis Cardinalium Secretario commiserunt, ut Regulas pro ejusdem Collegii, seu Seminarii salubri directione ad instar duorum præfatorum Collegiorum S. Pancratii, & S. Petri in Monte Aureo conficerent, prout ab eis reipia confectæ fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

I. Pater Generalis destinet, & assignet locum, seu Dormitorium in dicto Conventu Assisien. cum suis Cellis pro decem saltem Religiosis, quæ sint distinctæ, & separatæ ab aliis Dormitoriis, necnon alias Cellas in eodem loco, sive alio huic viciniore pro Lectoribus juxta numerum inferius præfigendum, cum inscriptione apponenda in principio, vel in parte aptiori dicti Dormitorii assignandi.

Collegium, seu Seminarium Missionum.

II. Cum munus Missionum verè sit Apostolicum, incumbat idem Pater Minister Generalis eligere Religiosos Regulari disciplina, probitate morum, ac zelo gloriæ Dei præditos & ad animarum salutem, eximia charitate accensos, qui velut Candelabra supra Montium jugis sita, tenebras tam infidelitatis, quam Hæreses pro viribus dissolvant, quique nec minores sint annis viginti quinque, nec trigessimum quintum excedant, ac robusta corporis valetudine polleant, aptique sint ad laborandum in Vineâ Domini; Theologia quoque cursum expleverint, ac Lectores, seu Concionatores fuerint, aut saltem in Morali Theologia versati, & non ex sola Italia, sed ex omnibus Provinciis advocari curet, & plures etiam ex una Provincia, si tamen possibile sit, major pars colligatur ex Provinciis status Ecclesiastici, dummodo prædictas qualitates habeant, moneatque insuper Provinciales, Guardianos, aliosque, si opus fuerit Religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant, & contra tales dissuadentes, & malè consulentes pœnas comminetur privationis activæ, & passivæ vocis, aliisque arbitrio Sacræ Congregationis.

Causa erectionis Studii eu Seminarii.

Erectio Seminarii decretur pro nunc in Conventu Assisi ad instar illorum S. Pancratii, & S. Petri in Monte Aureo.

Regule pro Seminario præscriptæ. Dormitorium assignandum à P. generali in Conventu Assisi, cum Cellis pro decem studentibus, & aliis pro Lectoribus.

Titulus Collegii. Qualitates eligendorum.

Non minores 25. annorum nec majores 35.

Ex omnibus Provinciis colligendi. & status Ecclesiastici.

Pœna contra Dissuadentes accedere ad Collegium.